

SAPIENTISSIMO AC PERITISSIMO VIRO

D. DOMINO PETRO BARON

IN FACVLTATE PARISIENSI DOCTORI MEDICO, ET A REGIIS SECRETIS CONSILIARIO COGNATO SVO.

VT mos eſt in prælio dimicantibus teſſeram ſemper intueri ſuam, optimique ducis ſe libenter imperio committere: necnon & nauigantibus expertiſsimi gubernatoris omnino ſe dare Prudentiæ: ita certe in tot ac tantos diſputationum fluctus tuo ductus gubernaculo, ac in periculoſiſsimum difficultatum certamen (quod non vi neque armis, ſed ratione litteris illuſtratâ dirimi ac diſceptari ſolet) doctrinæ tuæ ſigno adumbratus, fretuſque tua authoritate generoſe me me proferam. Haſque Theſes facile deffendam tua fultus protectione, quam ſpero te nequaquam denegaturum: Te inquam qui ſolitâ tuâ beneuolentiâ me tibi arctiſsime deuinctum tenes, necnon ſingularibus beneficijs quæ hic, loci anguſtia: itemque virtutes quam maximas ſumma modeſtia tua enumerare non patiuntur: nancque ſatis mihi erit omnium erga me ſtudiorum memoria; cuius haud alud teſtimonium præbere poſſum quam hanc te dedicationem fore tibi gratiſsimam: Artaxercis adinſtar donum voluntate non pretio menſurantis, quæ cum ſit leuis animi mei erga te ſignificatio, eorumdem recordatio manebit alta mente repoſita. Donec occurret fælix mihi occaſio in qua nouis officijs quantum eximiæ tua virtuti, tuo nomini debeam enixe manifeſteque declarem.

Dicat addictiſſimus I. PICHONNAT.

QVÆSTIO MEDICA 17.

IN PVBLICIS MEDICORVM SCHOLIS DISCVTIENDA DIE IOVIS XXVI. IVNII HORA NONA MATVTINA

M. ROBERTO BAILLIF DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An ſoporoſis affectibus emetica?

BREVE artis compendium, ad naturam componi: hinc prima illius elementa, hæc vota vltima. Ecquid enim, amabo, aliud Medicina? quam naturæ imitatio, eiuſque procuratio laborantis, cui nempe quod nobis eſt operæpretij in ſolidum debemus. Quare Hippopotamum venæ cædendæ, ibin proluendæ alui magiſtrum ne dixeris? naturæ in ſuas vindicias conantis hæ ſunt artes, is labor improbus. Viden vt ſe ſe illa liberet, ἐπικράσει, κενώσει, ἀποθέσει, μεταστάσει, quibus ars benè docta fælicique exemplo æmula, nouit palpum obtrudere humori effero, conquiſitis depromptiſque è naturæ penu ἐπικρατητικοῖς, παρηγορικοῖς, πεπαντικοῖς, quo illum tempeſtiuiùs ἀρτίως καὶ ἀλύπως iuſta vacuatione eliminet; ant ſi id negatum, porrò exulem iubeat deportari. Eadem præeunte, morbum morbo docemur redimere. Hæmorrhagiæ criticæ & diarrhææ conſtanti beneficio, mittendi ſanguinis, propinandique pharmaci, iniecit illa hæſitantibus fiduciam. Sic cum ſola non ſit morborum medicatrix, vnam medendi magiſtram vbique ſe probat.

NEQVE tamen fas aut datum eſt, huius opera & ſtudia imitari ſemper, beatumque illud momentum artis melioris τὸ ἀκριβὲς conſequi, quod illa dum regnat, tenet. Itane dederit, niſi apud imperitos, diureticis, ſudorificis per acutas febres vſurpandis authoritatem, perirrhæâ ſudoreque liber cum Herophonte, Meton? Itane repigrati tum menſtrui te iure occupauerit interpellaueritue ſollicitudo, quod huius primitiæ Virginem Lariſſæam vindicarint? in plæriſque alijs, morbo interea loci irritatiore. Auſiſne ſuppuratæ pleuritidis ſaniem media per vitalia in renum colliquias deriuare & traducere, quod ſalutari innocentique auſu id interdum naturæ licuerit? quæ vt αὐτὴ ἑωυτῇ εὑρίσκει τὰς ἐφόδους, quia neſcit aberrare, id vnum iuris ſibi habet. Temerè igitur planè feceris, illâ inconſultâ alienis deturbandis humoribus, arbitratu tuo ſi deſtinaris viam? tu ipſe peccaueris criminoſiùs, ſi eiuſdem ingratijs, iniuſtus nimium & exlex metator, aliena ſtatione locôue per vim, toto corpore palantes compreſſeris, vnòque impetu adeò feroces in anguſtias conieceris infœliciùs? illorum ῥοπὴν & indolem attendas priùs neceſſe? an ex Dominæ teſſera parati compoſitique ferantur. Nihilne ſit metus aut querelarum in vicinia? an ſecus illi ſymbolum proteruiore petulantia & licentia corruperint. Hos quidem in ordinem cogere, tuæ eſt prouinciæ, dum illos ex naturæ præſcripto ire ſinis, vel impellis pigrè morigeros.

QVAMOBREM æternâ lege criticos motus natura ſolet διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων moderari, aliter ſi verterit, morbo, artiſue ſiniſteritati imputa. Sic ἐμετικὴν inuitam agere ipſam, prima naufragi ventris peccata, coegerunt; neque huius opus, ſed conuulſioni cognatus labor vomitus eſt, etiam πικροχόλοις ἄνω, iiſque qui ex facili vomunt: vnde difficiles illi prodromi vomiturientium, ἄσαι, καρδιωγμοὶ, πτυαλισμοὶ, σεισμοὶ τοῦ κάτω χείλους: tantæ molis erat remeare annonam; tantum iniuriæ de penario cloacam ſtrui, quod à naturæ conſilio ſtudioque perpetuò alienum, ſæpe inanes in morbis, nuſquam ex integro critici, ſæpiùs ſymptomatici vomitus produnt, hôc grauius nocituri quô placent magis. Hinc in ſpem ſpeciemque iuſtæ iudicationis fictus moleſtior ille tot ſymptomatum niſus, optimis quibuſque πλάνας καὶ ἀπορίας parat. Hinc naturæ laborantis exemplo miſerrimo ἐμετικὴν ἀγωγὴν de medio agyrtarum foro in ſacram artem inuexit beata caſu temeritas peccandi, adultoque iam facinore placuere in venenis emetica, quæ adurgente vſu, innocentiora, penus ſuppeditauerit, vti ex alimentis τὰ ἐπιπολαστικὰ, χαλαστικὰ, ταρακτικὰ hiſque efficaciora φαρμακώδη, acria, aut quæ minus placituro ſapore, inteſtinâue diuidiâ, inimica ventri. Turpis quidem illa, at certè neceſſaria, quandoque vnica, nec ſecura tamen ingluuiei, veneni Medicina; cætera ſanis ægris, ſi naturam auſcultas, interdicenda.

GERMANO lethi ſopore, nihil quicquam ægro grauius, capitalius nihil, ſiue communicato, ſiue priuato τοῦ ἡγεμονικοῦ maleficio contigerit: præ quo breuior leuiorque æſtimanda veniat delirij noxa, vix ante fatalis, quam ferale veternum, ſorbiliſque ſomnus pro foribus orci exceperit; in faucium ſuggrundia depluente indomiti humoris vi plurimâ, ipſo demum in foco vitalem extinctura flammam. Illius haud genus idem, nocendique artes pro cauſæ morbificæ genio, ſede, ſinceritate, mixturâ, variæ. Ex quo modò fit marcor, atque inexpugnabilis dormiendi neceſſitas κῶμα ὑπνῶδες cum cataphora idem: modò κῶμα ἄγρυπνον, cuius tribulis κατοχὴ, τυφομανία. Illud ſine febre, gentile apoplexiæ, caro, vel cum febre in lethargicis: hoc ſine febre nunquam; nullo interim partium ſpirabilium damno vel otio, præterquam Apoplecticis. Communis fermè omnibus cauſa, partis principis perfrigeratio, oblæſi ſinus aut ventriculi, vulnere, compreſſu, ἐσφλάσει: vbere, craſſo, pigro, frigido, lento, putri, imputri etiam bilioſo humore ὑγρανθείσης τῆς σαρκὸς impediti meatus: vel denſo halitu, eiuſque καταφορῇ κακῇ νωθρῇ σαρέως obſcurati occupatique ſpiritus, quod per malignarum febrium cæcos æſtus, triſtioraque tempora experiri eſt, eô cœteris tum maiore iniuria, quô pronus ille magis, faciliſque & aſſiduus in excurſum, profligatis naturæ rebus penitiùs ſe ſe inſinuat & infert, cuius conuaſantis labores, ægræ animæ πνεῦμα μετέωρον, pulſus obſcurè μυουρίζοντες, vltimos conatus depugnantis, ἐφιδρώσεις liquido anteſtantur.

QVID tandem operæ futurum, vbi quid adhuc naturæ eſt reliqui? vtendumne foro? & quoniam (vt vulgo fertur) extremis, extrema congruunt, ad famoſum illud emeticum, diuorum nectar, protinus conuolandum iudicaueris? ita empirici, parabolani dum vadunt ſolidâ vi, recenti infortunio mactant res capitis, omnem eò humorum impotentem ſui conuertentes impetum, vnde erant iugi ſtudio reuocandi: ſic illi patrant ἀναῤῥοπίην, cuius prima morbus ipſe rudimenta tentauerat, feceran tque fidem præuius capitis dolor, ἦχοι, ſurditas, oculorum grauedines, vertigo tenebricoſa, linguæ tarditas, ſtupor manuum. Erubeſce ſiniſtris hiſce artibus ὁμονοεῖν τῷ πάθει, medicique ſimul eiurare nomen? mitiore quouis emetico, nedum vino illo quod ſtibium venenauit, tibi interdictum ſtatim intelliges? ſique naturam conſulas, cui prima in votis diarrhæa, niſi τοῖσι νενωθρευμένοισιν, infidæ neque frugi parotides, lege ages quam illa iuſſit τὰ μετεωριζόμενα κάτω ὑπάγειν, gnarus ex hac formula coniungere reuulſioni vacuationem; ficulneum alterutra præſidium, quando diuiſeris. Vtrique par negotio omnium ἡγεμονικώτατον venæ ſectio, efficacior ſi cum delectu ἐκ τῶν ἐγγυτάτων τε καὶ κοινῶν τῷ πεπονθότι μορίῳ: ſubinde ἁδροτέρως inſtituta ſæpiuſque repetita purgatio. Huic illique vicaria minorum gentium auxilia, cruentæ cucurbitulæ, ſanguiſugæ, phœnigmi, enemata acriora, mochlica. Ptarmica, verbo dicam, quæ Camarinam mouent, turbant, caput implent nec deplent, fugienda.

Non ergo ſoporoſis affectibus emetica.

Proponebat Andegaui, IACOBVS PICHONNAT Stampanus. Anno R. S. H. M. D. C. LIII.

ANDEGAVI, Apud PETRVM AVRIL, Regis & Academiæ Typographum.